Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2831

Quelle:
Copyright:

et de opinione et hereſi huſſitarum de qua ſunt communiter omnes fratricelli. Et hoc haberi poteſt ex confeſſione et proceſſu facto contra dictum hereticum qui eſt in Janua in curia inquiſitoris Januen. et in curia domini epiſcopi. In fol. membraneo ad *Cod.* calcem purpura legitur: *Maxime memorabile eſt in hoc libro quod in ſcripto contra S. Bernardinum teſtatur Fratricellos eſſe communiter Huſſitas.* Adjecit *Hugo* quondam *Blotius*: *Eſt manus Illyrici;* et re ipſa *Matth. Flacius* verba haec in ſuum *Catalogum Teſt. Verit.* edit. *Baſil.* 1556. p. 853. retulit. Quemadmodum vero *Articulus* hic, ita et reliqui teſtimoniis fulciuntur. Atque hic inter Teſtes videas *M. Bartholomaeum de Florentia* O. P. *Antonium de Roma* O. P. memorari item *Bernardini* adverſarios *Ludovicum de Piſis* O. P. Inquiſitorem *Bonon.* et Praedicatores Conventus *Viterbienſ.* ut adeo vix a ſuſpicione temperes, *Scotiſmum* et *Thomiſmum* in hanc quoque Controverſiam influxiſſe. Delatam eam fuiſſe *Romam* ad *Martinum* V. a. 1427. narrat ad *b. a. Waddingus cit.* actore praecipuo *Manfredo* quodam *Vercellenſi*, cui fortaſſe non incongrue *Articulos* noſtros tribuas. Eventum vide apud eund. *Waddingum* et *Bollandiſtas citt.* Superiorem diſceſſiſſe *Bernardinum* vel Tabulae illae lapideae nomen *Jeſu* praeferentes evincunt, quae hodiedum *Viennae* ſupra fores aliquot aedium viſuntur, ortumque non a *Jeſuitis* Seculo integro poſteriori-

bus, ſed a cariſſimo *Bernardini* Diſcipulo et Sodali *Joh. Capiſtrano* habent. Adverſarii interea non autoritate ſolum ſed et ratione Noſtrum aggreſſi ſunt; ſequitur enim in *Codice*

XVII. *fol.* 98. Diſſertatio inſcripta: *Non minus peccat qui novam adoracionem ſiue nouum cultum latrie in eccleſia absque auctoritate generalis eccleſie introducit, quam qui absque auctoritate eccleſiaſtica eccleſias conſecrat Epiſcopos et ſacerdotes ordinat* &c. Autor Scripti hujus in Suppoſito, ut ajunt, errare videtur, vix enim credibile eſt, *Bernardinum* Tabellis ſuis *cultum latriae* depopoſciſſe. Interim nemo haec legerit, cui in mentem non veniat Quaeſtionis de Cultu *Cordis Jeſu* non minori animorum motu, partiumque ſtudio aevo noſtro agitatae.

XVIII. *fol.* 104. *Incipit queſtio per ſcripturas a Judeis receptas quod miſterium chriſti ſit impletum determinata per fratrem nicolaum de lira.* Initium: *Utrum ex ſcripturis a Judeis receptis poſſit efficaciter probari ſaluatorem noſtrum fuiſſe deum et hominem &c.* Exemplum multis emendationibus ſcatens. Opuſculum paſſim ad calcem *Poſtillarum Nicolai de Lyra* ex Judaeo Franciſcani et *Pariſiis* a. 1340. defuncti obvium ſeorſim etiam *Francof.* 1601. 8. lucem vidit. Id unum ſub triplici Titulo deſignat *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* L. XIII. p. 116. in eo etiam lapſus, quod *Lyranum* non ad XII. ſed ad XIV. Judaeorum argumenta reſpondere adſerit.

XIX.